Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 73

Quelle:
Copyright:

V. a *fol.* 126. habetur manu Seculi XIV. absque titulo *Liber Pſalmodiae eccleſiaſticae* per anni decurſum incipiens ab *Hymnis*, quos inter multi, quibus nunc emendatioribus utimur. Ita confer ſequentem cum eo, qui nunc in *Laudibus Adventus* canitur:

Vox clara ecce intonat.
Obſcura queque increpat.
Pellantur eminus ſompnia.
Ab ethre chriſtus promicat.
Mens jam reſurgat torpida.
Que ſorde extat ſaucia.
Sidus refulget iam nouum.
Ut tollat omne noxium.

E ſurſum agnus mittitur.
Laxare gratis debitum.
Omnes pro indulgencia.
Vocem demus cum lacrimis.
Secundo ut cum fulſerit.
Mundum que orror cinxerit.
Non pro reatu puniat.
Sed pius nos tunc protegat.

Hymnis ſuccedunt *Antiphonae* et *Collectae* tam de tempore, quam de Sanctis, omiſſis tamen Pſalmis, et *fol. ult.* ſoli Verſiculi *Paſchales* ſignis *muſicis* notati comparent.

XXXI. VIII A. 7.

41 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 295. f. max. nitide per duas columnas ſcriptus, et capitalium rubricis decoratus exhibet charactere majore *Pſalterium Davidis*, minore vero ad ſingulos Verſiculos *Gloſſam* ſive Commentarium *Petri Lombardi* Epiſcopi Pariſini, vulgo *Magiſtri Sententiarum*, qui Sec. XII. claruit, nuſpiam tamen in Codice noſtro nominatur. Praeloquium ſic incipit: *Cum omnes prophetas ſpiritus ſancti revelationem conſtet eſſe locutos dauid prophetarum eximius quodam digniori et excellentiori modo quam alij uelut tuba ſpiritus ſancti prophetauit.* Commentarius vero ipſe ſic: *Beatus*, cui omnia optata ſuccedunt, *uir*, ſicet contra proſpera et aduerſa firmus, *qui non abiit*, a deo in regionem diſſimilitudinis, id eſt, cogitatione non peccavit, *in conſilio impiorum*, id eſt, quamvis impii hoc molirentur &c. In fine Commentarii disquiſitio de numero Pſalmorum inſtituitur, quae finit: *Penitentie igitur uox eſt: Miſerere mei deus. iuſticie uox eſt: Miſericordiam et judicium cantabo tibi domine. vite eterne uox eſt: Omnis ſpiritus laudet dominum.* Et mox rubrica quadrata: *Explicit Pſalterium Davit.* Opus noſtrum centonem eſſe ex anteriorum PP. commentariis contextum vel ipſa Editionis, quam primam cenſeo, quaeque in variis Bibliothecis cuſtoditur, ſ. l. et a. f. inſcriptio docet, quam adponere juvat. *Petri Lombardi quem et Magiſtrum Sententiarum dicimus, Gloſa ordinaria in Prophetam, de quo Dominus ait Elegi mihi David virum ſecundum cor meum. hic intitulatur Liber. Qui ſumptus eſt ex ſcripto Gregorii. Hieronimi. Ambroſii. Caſſiodori. Alcuini. Remigii.*